manuscript



Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36453
Copyright: Melk, Benediktinerstift

per medias turbas populorum · nullum cum umquam cepit · numquam ho-
minem lesit · hii autem qui ex ore eius euaserant uniuersi
baptizati sunt · Nunciata sunt omnia hec numeriano impera-
tori · qui furore nimio accensus iussit ut ambo idest
chrisantus et daria diis sacrificia impenderent · et si non
consensissent sacrificiis · uariis tormentorum cruciatibus pu-
nirentur · Igitur cum cogeret eos celerinus ad sacrificandum
et diuersa diceret · et hec omnia sancti audire contempnerent ·
iussit sanctum Chrisantum eculeo ingenti suspendi · Cuique impo-
neretur eculeo Chrisantus · ligna omnia comminuta sunt ·
uincula uero uniuersa dirupta sunt · lampades quoque que erant
apposite in lateribus eius extincte sunt · Qui cum mitteret manum ad
sanctam dariam · stupebant nerui eorum · et pre doloribus gemitum
cordis reddebant · Videns itaque hec celerinus prefectus
uehementer expauit · et cursu rapidissimo ad imperatorem
properans cuncta que gesta fuerant enarrauit · Tunc nu-
merianus imperator non uirtutibus diuinis hec sed male-
ficiis imputans · iussit eos duci in uia salaria · atque
in arenario deponi simul chrisantum et dariam · uiuosque
terra et lapidibus obrui · Tunc beatissimus Chrisantus cum beata
uirgine daria deponuntur in fouea · psalmis et orationibus
insistentes · Facta est in passione societas sanguinis · sicut
fuerunt etiam mente coniuges · et quasi in uno lectulo ita in una
fouea atque in una uoluntate perdurantes · Talis fuit pas-
sio que magis sepulturam dei famulis intulit · Accep-
tam se deo hostiam uiuentem exhibentes congruum hoc factum
est · ut qui simul fuerant in uirginitate durantes · simul
pertingerent ad coronam · Igitur cum multa beneficia deus ue-
nientibus ad eorum sepulchrum prestaret · euenit ut die nata-
lis eorum infinita populi multitudo concurreret · uiri simul
ac mulieres pariter et infantes et innupte puelle et iu-